

## ARTICULUS V.

*Missa quoad tempus quo potest vel non potest celebrari.*

## SUMMARIUM.

1. Tempus ordinarium celebrandi missam incipit ab aurora, et terminatur in meridie. — 2. Nec potest amplius celebrari tempore vespertino. — 3. Nec post horam nonam. — 4. In terris vero infidelium celebrari potest una ante auroram, et una hora post meridiem, seu nonam. — 5. Ubi non est aurora physice pro licita missarum celebratione, attendatur ea moraliter, et politice, quando scilicet terminari solet quies, et incipit labor. — 6. Regulares circa huiusmodi anticipationem, et postpositionem multa obtinuerunt apostolica indulta, et privilegia, quæ assignantur. — 7. Additur hic attendenda ad rem notabilis Pontificia dispositio. — 8. Licetum est cuilibet sacerdoti rite disposito quotidie celebrare. — 9. Excipiuntur tamen ultimi tres dies hebdomadæ Sanctæ. — 10. Excepto die Nativitatis Domini, et casu necessitatis, non licet eidem sacerdoti plures missas eadem die celebrare. — 11. Et si is celebret in eadem die, fit irregularis. — 12. Excipitur dies Nativitatis Domini in quo tres missæ celebrari possunt. — 13. Antiquis temporibus tres missæ celebrabantur etiam in festivitibus Resurrectionis Domini, S. Joannis Baptistæ, et apostolorum Petri et Pauli. — 14. In ipso die Nativitatis potest sacerdos tribus obligationibus satisfacere. — 15. In ipso die Nativitatis est privilegium et non præceptum celebrandi tres missas, adeoque est in libertate cujusque sacerdotis juxta morem in suo loco receptum, tres, vel unam celebrare. — 16. Cum hac advertentia, quod, qui unam tantum vult celebrare, illam celebret accommodatam tempori, quo celebrat, nempe, si de nocte, legat primam, si in aurora, secundam, si in pleno die, tertiam: quæcumque tamen legat, si unam solam legat, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. — 17. De jure omnes sacerdotes in nocte Nativitatis possunt celebrare unam missam. — 18. Non possunt tamen in ipsa nocte Nativitatis successive ad primam missam, statim celebrari aliæ duæ missæ, nec communio præberi fidelibus, nisi post auroram, non obstante quocumque privilegio. — 19. Excipitur etiam casus necessitatis, in quo celebrari possunt ab eodem sacerdote plures missæ. — 20. Assignatur primus casus sufficientis necessitatis sic celebrandi plures missas eodem die. — 21. Assignatur secundus casus. — 22. Assignatur tertius casus. — 23. Assignatur quartus casus. — 24. In his casibus, si sacerdos præcius sit, postea sibi iterum sacrificandum fore, debet abstinere in prima missa a sumptione ablutionis, ut in missis Nativitatis Domini. — 25. Non est tamen casus sufficientis necessitatis, quod idem sacerdos eodem die celebret plures missas, ne moriturus sine viatico decedat. — 26. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis adventus alicujus magnatis, principis, episcopi, cardinalis legati, et huiusmodi. — 27. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis pro iteratione sacrificii eadem die præstanda ab eodem sacerdote, adventus inexpectatus processionis, magnæ copię peregrinorum, vel magna devotio Catholicorum in partibus infidelium audiendi sacrum. — 28. Nec etiam est casus sufficientis necessitatis defectus decentis apparatus vestium multorum nobilium erubescendum die festo intervenire sacro, cui alii concurrunt. — 29. Feria quinta in Cœna Domini celebrari nequit missa, in ecclesia in qua non asservatur sanctissimum sacramentum. — 30. Regulares possunt in suis ecclesiis missas celebrare eodem tempore quo parochi celebrant in suis. — 31. Regulares possunt pulsare campanas ad missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ, præterquam in die sabbati sancti. — 32.

Imo possunt regulares etiam celebrare missas, priusquam parochi celebrent. — 33. Nec episcopi possunt illis prohibere ne campanas pulsent et missas celebrent in suis ecclesiis, ante pulsationem campanæ et celebrationem missæ in ecclesia parochiali. — 34. Potest tamen episcopus decreto synodali statuere ut diebus festis de præcepto missæ celebrari non debeant in oratoriis et ecclesiis ruralibus, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali. — 35. Assumpto onere celebrandi missam ad finem aliquem obtinendum, si missa differatur ultra tempus quo finis possit obtineri, dilatio est graviter peccaminosa. — 36. Hinc sacerdos accipiens stipem, ut celebret missam pro alienius salute corporali recuperanda, si differat celebrandum post ipsius mortem, graviter peccat. — 37. Gravier etiam delinquit quilibet sacerdos etiam privatus, assumens tot onera missarum quibus non possit satisfacere, nisi post longissimum tempus. — 38. Obligatus ad celebrandas missas in diebus festis ex institutione fundatoris, non potest illas differre in dies feriales sequentes ad festa, et sic differens graviter peccat. — 39. Dies festi in similibus casibus debent intelligi dies festi solum de præcepto. — 40. Non licet anticipata applicatione missam celebrare et applicare pro eo qui primus elemosynam erogabit. — 41. Capellanus, qui onus habet certis diebus celebrandi pro fundatore potest anticipare præveniendi illas celebrare, nisi fundator ipse aliud sive implicite, sive explicite statuerit. — 42. Si autem fundator in fundatione expresserit quod tot missæ in qualibet hebdomada celebrentur, nec ulla ex eis in singula omittatur; vel dies præfixerit ex peculiari sua devotione ad eas, vel ut in ipsis determinatis diebus daretur commodum populo audiendi sacrum, tunc non possit anticipare celebrare, sed teneatur omnibus illis propriis diebus ad illam determinatam celebrationem saltem localem. — 43. Utilius est curare ut missæ pro se celebrentur in vita, quam instituere ut celebrentur post mortem. — 44. Missæ pro aliquo celebratæ post mortem sunt solum satisfactoriæ pro penis quas animæ luunt in purgatorio. — 45. At missæ celebratæ pro aliquo adhuc in vita, non solum sunt satisfactoriæ, sed etiam propitiatoriæ, meritoriarum et imperatoriæ. — 46. Ad complementum hujus articuli plura edicuntur circa primam missam Nativitatis Domini, ad n. 62. — 63. Alia ad rem ad n. 70. — Subnect. *Addit. ex aliena manu*, ad n. 79.

(1. Tempus ordinarium celebrandi missam incipit ab aurora, et terminatur in meridie, ut patet ex rubricis Missalis tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, ubi dicitur quod « tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter; » et ex c. *Necesse est*, et c. *Nocte sancta*, De consecrat., dist. 1. (2. Nec potest amplius celebrari tempore vespertino: revocantur enim omnia privilegia a S. Pio V, constit. 4, incip. *Sanctissimus*. (3. Nec post horam nonam, ex Innocentio IV constit. 14 incip. *Sub Catholica* \*. Toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Bened. XIII, ut ex Ben. XIV, *Instit. eccles.*, 12, § 4\*. (4. In terris vero infidelium celebrari potest una hora post meridiem, seu nonam, ex Paulo V constit. 40 incip. *Ex omnibus*, § 6. (5. Ubi non est aurora physice pro licita missarum celebratione, attendatur ea moraliter, et politice, quando scilicet terminari solet quies, et

incipit labor, juxta probatam regionum consuetudinem, ex decreto sacræ congr. Rit. 18 Septembr. 1634. (6. Regulares circa huiusmodi anticipationem, et postpositionem multa obtinuerunt Apostolica indulta et privilegia. Alexander VI concessit Patribus congregationi Vallisolet. ut possint celebrare duabus horis post mediam noctem, per Breve, quod incipit *Sane merita*; S. Pius V concessit Societati Jesu, ut referatur in *Compendio suorum privilegiorum*, verb. *Missa*, § 3, quod possint celebrare per horam ante auroram, et infra horam post meridiem, causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Martinus V concessit congregationi Vallisolet. Innocentius VIII Augustinianis, Leo X Minoribus, et Gregorius XIII Casinensibus, ut statim post mediam noctem possint celebrare et etiam post meridiem, quando fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, et non possunt ante meridiem applicare ad locum, ubi commode possint missam celebrare. Sic referunt Casarub. verb. *Missa*, 2, Suarez, tom. III, in tertiam part., disp. 8, sect. 4; Baun., in *Theol. moral.*, tract. 10, *De sacrament.*, q. 13; Rosignol., *De eucharistia*, q. 8, art. 16, n. 12, et alii\*. Attamen jus habet episcopus vetandi etiam sub penis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex decretis S. congregationis firmatur, *Instit. eccles.* 68, § 12.

(7. Attendenda est hic sequens epistola de mandato Sanctissimi transmissa eminentissimo et reverendissimo cardinali Prospero de Lambertinis, tunc archiepiscopo Bononiensi, et postea Summo Pontifici, et ab ipso relata in suis semper commendabilibus notificationibus, *Notif. seu Inst. eccl.* 68, nuper citata, § 12, ut supra, tenor, seq.

« Eminentissime et reverendissime domine observandissime.

« Cum ad aures sanctissimi domini nostri deveniret, nonnullis forte per annos, antequam Eminentia vestra istius Bononiensis Ecclesiæ regimini præficeretur, paulatim ea in civitate irrepsisse abusus, ut occasione, qua sacra quædam imago Deiparæ Virginis a S. Luca, uti præfertur, depicta, ab ecclesia Sancti Matthiæ religiosarum ordinis S. Dominici ad alias plures monialium ecclesiarum die Dominica ante Ascensionem, servato processionis ritu, transfertur, multas per horas ante auroram, priusquam nempe eadem sacra imago inde amoveatur, missa lecta coram ipsa celebretur, deindeque eadem die, pluribus jam a meridie transactis horis, nimirum postquam dicta sacra imago ad ipsam Sancti Matthiæ ecclesiam relata est, alia ibidem missa solemniter canatur; sanctissimus Pater, qui non sine gravi animi sui offensione, Ecclesiæ præceptum ejusque rubricas de tempore celebrandi

(70) *Nota Romani theologi.*—Quod sacerdos pluries celebrans in die fiat irregularis nec ne, placet hic transcribere; quod firmat Carolus Antonius, *Theaurus Soc. Jesu*, De penis ecclesiasticis, verb. *Missa*, cap. 5, n. 2, ibi: « Quidam putant irregularitatem, ut Majol. tenet lib. VIII, cap. 45 § *Præterea*, in

missas salubriter constitutas, tanta horarum perturbatione violari accepit, has ad Eminentiam vestram jussit litteras dari, quibus significetur Sanctitatis Sæe mentem esse, ut enuntiatus abusus penitus eliminetur, utque in hunc finem Eminentia vestra nedum ea, qua pollet ordinaria auctoritate, juxta præscriptum sacri Tridentini concilii momenti in decreto *De observ. et evit. in celebr. miss.* locorum ordinarios, ut edicto et penis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; verum etiam facultate sibi ab eadem Sanctitate Sua, quatenus opus sit, specialiter delegata, mandet promulgari edictum, quo sub pena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, aliisque etiam gravioribus arbitrio Eminentia vestra decernendis, districte prohibeatur omnibus, et singulis sacerdotibus, tam sæcularibus quam regularibus et præsertim fratribus ordinis Prædicatorum, ne quisquam eorum in præfata ecclesia Sancti Matthiæ missam ullam, sive lectam, sive cum cantu, præterquam debitis horis audeat præmissa die Dominica, vel alia quacunque celebrare. Id itaque de mandato ejusdem sanctissimi domini nostri Eminentia vestra significo, ut ejus menti se conformare dignetur, ejusque manus humillime deosculor.

« Romæ, 2 Martii 1737.

« Eminentia vestra  
« Humill. et addictiss. serv.,  
« A. card. GENTILI, propræf. »

(8. Licetum est cuilibet sacerdoti rite disposito quotidie celebrare; ex cap. *Consulisti*, De celebratione missarum. (9. Excipiuntur tamen ultimi tres dies hebdomadæ sanctæ, in quibus ubique prohibentur missæ privatæ, non obstante quocumque privilegio, et contraria consuetudine, ex decreto sacræ R. congregationis, et Clement. XI, 20 Aprilis 1707 ac ejusdem tandem vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713.

(10. Excepto die Nativitatis Domini, et casu necessitatis, non licet eidem sacerdoti plures missas eodem die celebrare: ex cap. *Sufficit*, dist. 1, De cons., ibi: « Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit, et valde felix est, qui unam digne celebrare potest. » Et ex cap. *Te referente*; et cap. *Consulisti*, De celebratione missarum, ibi: « Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. » (11. Et si bis celebret in eadem die, fit irregularis. Sac. cong. Concil. in *Placentina* 11 Jan. 1710, ad primum dub (70). Vide Barbosam, *Collect. in Decr.*, tit. *De celebr. miss.*, cap. *Consulisti* 3, n. 3 (71).

fine; sed nullo jure id probat, et irregularitas non est asserenda; ubi non est a jure expressa cap. *Iis qui*, De sent. excom. in 6. Vide *Additiones Casinenses* in fine h. articuli.

(71) Barbosa, *l. c.*, nihil statuit de pœna, de qua auctor. *Ed. Cas.*

(12. Excipitur dies Nativitatis Domini, in quo tres missæ celebrari possunt, cap. Nocte 48, De consecrat., dist. 1, et cap. *Consuluisti* 3, De celebratione missarum; prima enim dicitur in media nocte, in memoriam Christi Nativitatis, secunda in aurora, in memoriam adorationis tali hora ei a pastoribus factæ, et tertia hora tertiæ diei in memoriam manifestationis omnibus factæ, juxta Telesphori Papæ (qui celebrationem trium missarum instituit) intentionem, capit. Nocte, De consecration., distinct. 1. Vel dicuntur ipsa die tres missæ ad significandam triplicem Christi Nativitatem, scilicet æternam ex Patre cœlesti, temporalem ex Maria Virgine, et spiritualem, seu mysticam in hominum cordibus per gratiam, ut notat D. Thomas in part., quæst. 83, art. 2. Vel ad significandum tres hominum status, scilicet ante legem Moysis, sub lege Moysis, et post legem, qui est status gratiæ, ut dicit Beda in *Sermone de Nativ.*, et notat *Glossa* in cap. Nocte 48, De consecr., dist. 1, uti exprimunt versus sequentes :

Quarum prima tibi tempus, quo lege carebant :  
Altera dat Moysen, designat tertia Christum.

(13. Antiquis temporibus tres missæ celebrabantur etiam in festivitibus Resurrectionis Domini, sancti Joannis Baptistæ, et SS. apostolorum Petri et Pauli, ut referunt Strabon., *De Eccles. offic.*, cap. 21; Amalar. Fortunat., eodem tit., lib. IV, cap. 2; Gonzalez, in cap. *Consuluisti* 3, De celebrat. missarum; Ursaya, *Institut. crimin.*, lib. I, tit. 10, § 2, num. 63. (14. In ipso die Nativitatis potest sacerdos tribus obligationibus satisfacere. Sacr. cong. Conc. in *Nullius* 18 Aprilis 1654, lib. XIX *Decret.*, fol. 336. Vide infra a n. 57 et seqq., ubi afferuntur alia novissima ad rem attendenda.

(15. In ipsa die Nativitatis est privilegium, et non præceptum celebrandi tres missas, adeoque est in libertate cujusque sacerdotis, juxta morem in suo loco receptum, tres, vel unam celebrare, cum hac advertentia, quod qui unam tantum vult celebrare, illam celebret accommodatam tempori, quo celebrat; nempe si de nocte, legat primam: si in aurora, secundam: si in pleno die, tertiam. (16. Quamcumque tamen legat, si unam solum legat, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. (17. Dixi « si celebret de nocte, » nam de jure omnes sacerdotes in nocte Nativitatis possunt celebrare unam missam: *De consecrat.*, dict. 1 cap. *Nocte sancta*, ex Telesphoro, *Epistol. decr.*, et sequitur Nav., *De celebrat. miss.*, cons. 2, lib. III; Monacel., t. II, tit. 15, n. 16; Bonac. et alii\*. Hujus decreti Espenio et aliis visum est. Telesph. haud esse auct.\*

(18. Non possunt tamen in ipsa nocte Nativitatis successive ad primam missam statim celebrari aliæ duæ missæ, nec communio præberi fidelibus, nisi post auroram, non obstante quocumque privilegio, ex decreto sacræ congr. Rituum 7 Sept. 1641, 9 Augusti 1653, et 20 1664, in *una Pisaurensi*, in qua habetur, ut sequitur: « Patres

S. Caroli congr. clericorum regularium petierunt responderi an liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam missam, alias duas immediate celebrare, et communicare fideles? Et sacra congregatio respondit, « nullo modo licere, sed omnino prohibetur. » Et cum abusus celebrandi successive ad primam missam, et communionem præbendi fidelibus iterum tam in Urbe quam extra resurgeret, denuo observantia dictorum decretorum a sacra congreg. Visitationis Apostolicæ 7 Decembris 1702, et edicto eminentissimi cardinalis vicarii strictè demandata fuit, ut patet ex sequentibus provisionibus :

« Eminentissimi e reverendissimi signori. « Il sacerdote Carlo Consueti oratore umilissimo dell' EE. VV. espone riverentemente, essersi introdotta tanto in Roma, come fuori in alcune chiese la celebrazione delle tre messe basse nella mezza notte della nascita di Nostro Signore, il che è contro la forma della rubrica del Messale *De hora celebrandi missam*, rub. 15, e contro i decreti, e dichiarazioni altre volte fatte da questa sacra congregazione, de' quali se ne dà qui sotto copia.

« Si supplicano pertanto l' EE. VV. d'altra promulgazione, e Decreto per toglier tal abuso, etc.

« Cum superioribus diebus consulta fuisset hæc sacra Rituum congregatio: « An « esset permittendum celebrari in media « nocte Nativitatis Domini post missam de « cantatam, successive alias duas missas, et « in eis sac. communionem exhibere fide- « libus illam deposcentibus, et respondisset « non esse permittendum, sed omnibus « utrumque prohibendum. Nihilominus non « nulli regulares asserentes hoc licere, « supplicarunt audiri: et sacra congregatio, « ipsis auditis cum procuratoribus et ad- « vocatis, ad relationem eminentissimi Pal- « lotti, stetit in decretis, et respondit « iterum prohibendum, tam sacerdotibus « celebrare volentibus, quam confluentibus « in dicta nocte ad ecclesiam, et commu- « nionem deposcentibus; die 7 Decembris « 1641. » Quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt die 9 Augusti 1653, in *Regest.*, fol. 144.

(19. Excipitur etiam casus necessitatis, nam in casu necessitatis plures missas eodem die celebrari posse ab eodem sacerdote jejuno, clare patet ex cit. cap. *Consuluisti*, De celebratione missar. (20. Inter autem hujusmodi casus necessitatis præcipue comprehenduntur sequentes. Primus casus sufficientis necessitatis est, quando sacerdos jam celebravit, et superveniente morte, vel infirmitate, qua missam non possit prosecui, alteri sacerdoti celebranti post hostiam consecratam, ad eandem complendam ipse sufficitur, ut habetur in c. *Nihil* 7, qu. 1.

(21. Secundus est, quando sacerdos habet duas vel tres parochias inter se valde distitas, et non potest habere coadjutorem, nec omnis populus potest in unam ecclesiam convenire; tunc enim poterit eadem die in

qualibet sua parochia celebrare, ut quilibet populus possit præcepto de audiendo sacro satisfacere. (22. Tertius casus est, quando in partibus infidelium pauci sunt sacerdotes, et multi Catholici, ut in Anglia, Hollandia, etc., id exigente necessitate illorum Catholicorum in illis partibus. (23. Quartus casus est, quando, occurrente maxima solemnitate, tam magnus esset populi concursus, ut omnes in eadem ecclesia capi non possent ad assistendum sacro, nullo alio existente sacerdote, tunc enim ab eodem possent iterari ad satisfaciendum omnibus. Sic tenet Durandus lib. II *De ritibus eccles.*, cap. 7, dicens ita sensisse Leonem Papam epist. 81, ad *Dioscorum*; quinimo Strabo, *De rebus eccles.*, cap. 21, refert eundem Leonem papam, quandoque septies, quandoque novies eadem die ex eadem causa celebrasse (72). (24. Advertendum tamen est, quod in his casibus, si sacerdos præsciis sit postea sibi iterum sacrificandum fore, debet abstinere in prima missa a sumptione ablut., ut in missis Nativ. Domini, uti notant comm. DD. in c. *Ex parte*, De celebr. miss.

(25. Alii casus referuntur a quibusdam doctoribus in quibus dicunt posse eundem sacerdotem eadem die bis sacrificare: verb. gr., ne moriturus sine viatico decedat; at hic non subsistit, cum obstat præceptum non iterandi sacrificium, et in eo casu ex defectu hostiæ consecratæ excusetur infirmus a præcepto sumendi viaticum ob impotentiam. Vide verb. *INFIRMUS*, num. 28, et verb. *MORIBUNDUS*, num. 16. (26. Sic nec est casus sufficientis necessitatis adventus alicujus magnatis, principis, episcopi, cardinalis, legati, ut volunt aliqui. (27. Nec pariter sufficit pro iteratione sacrificii eadem die præstanda ab eodem sacerdote, adventus inexpectatæ processionis, magnæ copiæ peregrinorum, vel magna devotio Catholicorum in partibus infidelium audiendi sacrum, etiam diebus ferialibus, ut volunt alii. (28. Nec etiam defectus decentis apparatus vestium pro qualitate multorum nobilium erubescendum die festo intervenire sacro, cui alii concurrunt, ut censuere aliqui. Videntur enim requiri graviores causæ ad hoc, ut ab eodem sacerdote possit eadem die pluries celebrari, ut potest colligi ex sequentibus declarationibus. « Cum in civitate, quam dicunt *de Assumptione*, in provincia Parequarensi, pars magna nobilium domi se contineat, quod apparatu decente careat, ideo ut nobiles mulieres, ac viri e domibus ad templa educerentur, opus fuerit missam ante solis ortum celebrare, sed non reperto sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, episcopus prædictæ civitatis missam antelucanam nobilium gratia celebravit. Proposito dubio in sacra congregatione eminentiss. card. concilii Tridentini interpretum: « an episcopus absque apo-

(72) Perperam Durandus, l. c., cum Lucio nostro Pontificem Leonem Magnum, seu I cum Leone III confundit, quem postremum (Leo III ab anno 795

« stolico indulto posset bis in die sacrificium « offerre ex præarrata causa? » Die 1 Septemb. 1657 ead. sac. congr. censuit non posse. Hinc etiam cum archiepiscopus Sipontinus obligatus esset in ecclesia Sipontina fer. v in Cœna Dom. celebrare et conficere chrisma, quamvis deberet in Ecclesia Garganica recipere peregrinos, ideoque cum clerus et populus compelleret ad hic prius celebrandum, Honorius III, cap. *Te referente*, De celeb. miss., sic decrevit: « Cum « cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præ- « fulgeat, unam in die celebrare missam suffi- « ciat, nam et valde felix est, qui celebrat « digne unam, fratern. tuæ mandamus, quate- « nus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina « duntaxat, in qua teneris chrisma conficere, « missarum studeas solemnia celebrare. »

(29. « Feria quinta in Cœna Domini celebrari nequit missa in Ecclesia, in qua non asservatur sanctissimum sacramentum, ut in una Neapolitana disponitur, Instit. vicarius generalis eminentissimi archiepiscopi Neapolitani a sac. Rituum congreg. declarari: « An liceat in Ecclesiis, in quibus non « asservatur sanctissimum sacramentum, cele- « brari missam feria quinta in Cœna Domini, « et in sepulcro idem augustissimum sacra- « mentum asservari? » Et sac. eadem congreg. respondit non licere; die 24 Junii 1659.

« Fr. Mar. PHEBUS, S. Rit. congr. secr. » (30. Regulares possunt in suis ecclesiis missas celebrare eodem tempore, quo parochi celebrant in suis, ex concessione S. Pii V constitut. incip. *Etsi mendicantium*. (31. Et post concessionem S. Pii V fuit editum decretum a sac. congr. episcop. et regul. 10 Octobr. 1586, in quo statuitur, quod ordinarii non impediant fratres pulsare campanas ad Matutinum, ad Horas et ad missam, antequam pulsetur campana majoris ecclesiæ, præterquam in die sabbati sancti. (32. Imo possunt regulares etiam celebrare missas priusquam parochi celebrent, ut statuit S. Pius V, in cit. constitut. § 8, his verbis: « Nec non missas et divina officia hujusmodi etiam in diebus Dominicis, vel festivis, etiam antequam rector parochialis Ecclesia celebraverit, celebrare et facere, quando eis videtur. » (33. Nec episcopi possunt illis prohibere, ne campanas pulsent et missas celebrent in suis ecclesiis ante pulsationem campanæ et celebrationem missæ in ecclesia parochiali, ut decrevit sac. congr. Concilii in *causa nullius provincie Raven.*, die 15 Septembris 1629.

(34. Potest tamen episcopus decreto synodali statuere, ut diebus festis de præcepto missæ celebrari non debeant in oratoriis et ecclesiis ruralibus, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali, ut declaravit sac. congregat. Concilii in *S. Agathæ Gothorum* 25 Maii 1632, l. XIX *Decret.*, fol. 191, et in *Camerinen.* 30 Augusti 1704, favore parochiæ S. Pauli loci Flastræ contra capellanum

ad annum 816 Pontificatum tenuit) testatur Strabo, plures in die missas celebrasse. *Edi. Casin.*

Villæ Collis, ita tamen, ut missa parochialis hora opportuna celebretur. *Vide verb. PAROCHUS, art. 3, n. 8.*

(35. Assumpto onere celebrandi missam ad finem aliquem obtinendum, si missa differatur ultra tempus, quo finis possit obtineri, dilatio est graviter peccaminosa, quia per illam dilationem frustratur finis, ob quem tradita est eleemosyna, et assumpta est illa obligatio, et etiam violata est fides, qua sacerdos se obligavit, adeoque graviter peccavit, nedum contra fidelitatem, sed etiam contra justitiam.

(36. Hinc, si quis erogaverit sacerdoti stipem ab eodem ad hunc finem acceptam, ut celebret missam pro salute corporali recuperanda, et sacerdos distulerit celebrationem post mortem secutam, certe non eximeretur a gravi culpa, cum forte mortuus non fuisset, si debito tempore pro eodem celebrasset. Sic etiam graviter peccant differentes ultra debitum tempus celebrationem missarum acceptarum pro præciso fine habendi v. g. felicem partum, prosperum iter, seu navigationem, et hujusmodi, ut tradunt communiter doctores. (37. Et graviter etiam delinquit quilibet sacerdos, etiam privatus, assumens tot onera missarum, quibus non possit satisfacere, nisi post longissimum tempus, quia sacra congregat. auctoritate Urbani VIII in responsione ad 11 concedit solum posse nova onera missarum celebrandarum suscipere, « dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere; » et circa hoc in responsione ad 16 statuit « comprehendi etiam privatos sacerdotes. »

(38. Obligatus ad celebrandas missas in diebus festivis ex institutione fundatoris, non potest illas differre in dies feriales sequentes ad testa, et sic differens graviter peccat, et ratio non solum deducitur ex dilatione ultra diem præscriptum, et ex violatione voluntatis testatoris; sed etiam ex qualitate diei festi, quem voluit testator specialiter tum ad venerationem ejusdem, tum ad commodum populorum. (39. Et dies festi in similibus casibus debent intelligi dies festi solum de præcepto, in quibus cadit obligatio audiendi sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus, non autem dies, qui, ratione ritus duplicis, dicuntur festi in ordine ad divinum officium.

(40. Non licet anticipata applicatione missam celebrare et applicare pro eo qui primo eleemosynam erogabit; sic enim declaravit sacra Congr. Concilii, de mandato Clementis VIII die 5 Novembris 1605 præcisus his verbis: « Superioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis abhinc annis in Hispania novam consuetudinem recentiorum aliquot theologorum opinione nixam, sensim receptam in dies magis invaluisse, ut sacerdotes missam celebrantes, ejus valorem generalem applicent his, qui postea missæ celebrationem postulaturi ac pro eo eleemosynam præbituri sunt, tametsi antequam missæ sacrificium perageretur, neque a sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa præstitissent eleemosynam. Quam rem

cum Sanctitas Sua ad sacr. congregationem cardinalium concilii Tridentini interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in ipsa congregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, qui, ex ejusdem congregationis sententia, hujusmodi consuetudinem, tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, et offensionibus obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem expulso ac improbatum, quas opportunas et necessarias existimaverit, pœnis. Idemque præcipiat generalibus et capitibus ordinum, quos in istis regnis nunc noverit commorari, ut scilicet et ipsi regularibus sibi subditis talibus applicationibus, iisdem pœnis propositis, interdiciant: Quæ omnia pro sua pietate, et sanctissimi domini nostri jussu obsequendi studio amplitudinem tuam sedulo effecturam sperantes, omnipotentem Deum rogamus, eam quotidie cœlestis suæ gratiæ donis velit auctiorem. » Romæ, die 13 Novembris 1605, de qua declaratione meminerunt Laurentius de Peirinis, tom. XII *De privileg. Minim.*, inter *Const. Urbani VIII*, n. 9; Gavanti in *Thesaur.*, tom. I, part. III, tit. 12, a n. 34; Lezana, in *Sum. quæst. regul.*, cap. 21, n. 7.

(41. Capellanus, qui onus habet certis diebus celebrandi pro fundatore, potest anticipare præveniendi illas celebrare, nisi fundator ipse aliud, sive implicite, sive explicite statuerit; quia ex una parte illa anticipata celebratio, non cadit in incertum, nec suspendit effectum ejusdem sacrificii, cum sint omnia requisita, et sit determinata persona, supra quam cadit idem effectus; ex alia parte potius suffragatur fundatori, quam noceat, siquidem pro ejus salute, quo citius offertur sacrificium eo citius liberatur a purgatorio, adeoque non est, cur dicatur prohibita talis anticipata celebratio. (42. Si autem fundator in fundatione expresserit, quod tot missæ qualibet hebdomada celebrentur, nec ulla ex eis in singula omittatur, vel dies præfixerit ex peculiari sua devotione ad eas, vel ut in ipsis determinatis diebus daretur commodum populo audiendi sacrum, tunc non posset anticipare celebrare, sed teneretur omnibus illis præfixis diebus ad illam determinatam celebrationem saltem localem, quia aliter violaret mentem fundatoris, et fraudaret populum jure, quod ex ejusdem testatoris voluntate haberet sacrum audiendi illis cujuscunque hebdomadæ determinatis diebus. Sic sentit Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 24, n. 13; Diana, Riccius et alii communiter.

(43. Utilius est curare ut missæ pro se celebrentur in vita, quam instituere ut celebrentur post mortem; (44. quia missæ

pro aliquo celebratæ post mortem sunt solum satisfactoriæ pro pœnis, quas animæ luunt in purgatorio. (45. At missæ celebratæ pro aliquo adhuc in vita, non solum sunt satisfactoriæ, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ et impetratoriæ, et sic juvant in vita, et post mortem. Imo tanta esse possunt sacrificia in vita alicujus oblata, ut totam pœnam, quæ illi in purgatorio debeat, expient ac deleant, ita ut ille decedens, cœlum statim consequatur, et ita ad rem aptissime sentit divus Gregorius lib. IV *Dialog.*, cap. 58. « Tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agere per alios, agat ipse, dum vivit per se: Beatus quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere; » et sic cum ipso sentiunt Barbosa in *Concil. Trident.*, sess. XXII, *De sacrificio missæ*, cap. 2, n. 11, Gobat, Fraxinellus, Pinellus, Marchinus et plurimi alii.

(46. Ad complementum hujus articuli addendum est, quod eminentissimus cardinalis, qui in sacello Pontificio celebrat primam missam Nativitatis Domini ante mediam noctem, censetur saltem tacite dispensatus a Summo Pontifice, ut celebret et communicet non jejunus. Ipse enim solet in ipsa die vigiliæ hora solita prandere, licet sero in collatione fieri solita in Palatio apostolico, nihil sumat, ut patet universæ Urbi, teste Diana, *Coordinat.*, tom. II, tract. 3, resolut. 12, n. 4, ubi dicit non esse verum quod Summus Pontifex quotannis speciali brevi dispenset cum cardinali celebratorio, ut possit non jejunus, celebrare, ut asserit Pasqualigus tom. I, decis. 312, n. 4, nec quod cardinalis celebraturus maneat tota die vigiliæ Nativitatis jejunus, et post celebrationem cœnet, refertque sic sibi testatos fuisse plures curiæ ministros, et magistrum cæremoniarum ipsiusmet Summi Pontificis; unde non videtur verificari opinionem card. de Lugo, *De sacram. euchar.*, disp. 15, sect. 2, n. 16, et Aversa, *De sacram. euchar.*, qu. 8, sect. 8, putantium Summum Pontificem pro illo loco, et pro illa nocte anticipare aliquantulum initium diei sequentis, ita ut talis cardinalis censeatur celebrare in die, et non in vigilia Nativitatis, sicque communicet jejunus. Sic Dicastill., *De sacram.*, tom. I, tract. 4, dub. 17, quæst. 7, n. 404, expresse dicens, revera saltem tacite Summum Pontificem dispensare, ut sacrum in capella Pontificia dicatur a cardinali non jejunus abque ulla anticipatione diei; ita vult Lugo, sed illud sacrum dici intra festivitatem ecclesiasticam Nativitatis Christi sine ulla anticipatione diei; ita etiam Quarti, *Commentar. in Rubric. missalis*, part. III, tit. 9, dub. 6, caus. 4; Pasqualigus, *loc. cit.*, decis. 311; Martini, tom. III, disput. 35, n. 64; Diana, *Coordinat.*, t. II, tract. 3, resolut. 11 et 12, quamvis ipse censeat contrariam opinionem etiam probabilem, et alii plures.

(47. Non sic autem censendum est de aliis, qui ex privilegio vel consuetudine celebrant ante mediam noctem, ut patet de primicerio S. Marci Venetiarum, qui ante dictam me-

diam noctem semper jejunus celebrat, ut testatur Diana, *Coordinat.*, *loc. cit.*, resolut. 11, n. 4, ubi arguens contra cardinalem de Lugo existimantem missam celebratam a cardinali in capella Pontificia non solum esse missam diei, sed missam celebratam in die Natalis Domini, ex eo quod censet Summum Pontificem pro illo loco, et nocte, anticipare diem sequentem per aliquot horas, expresse sic habet: « Sed hæc doctrina, credo, quod ipsemet cardinalis non concederet pro templo Divi Marci, quod patet; nam si ita esset, primicerius posset dicere unam missam non jejunus, quod nunquam accidit; nam semper primicerius celebrat jejunus. » Et paulo infra subjungit: « Et hoc ultimum (nempe quod illud sacrum censeatur dici intra festivitatem ecclesiasticam Nativitatis Christi sine ulla diei anticipatione) dicendum est etiam de sacro, quod dicit primicerius in templo divi Marci, non autem de dispensatione jejunii, nam ut observatum est, primicerii S. Marci semper celebrant illa nocte Nativitatis jejuni. » Et sic in genere de omnibus qui celebrant ante mediam noctem, tenet expresse Gavantus tom. I, part. 4, tit. 3, n. 5, ibi: « Quod si celebraturus sit ante mediam noctem ex privilegio, vel legitima consuetudine, vere non dispensatur in jejunio necessario ad missam, ideo a pridiana media nocte jejunet, neque in missa vigiliæ sumat purificationem. » Et ipsum sequitur Merati, *ibidem*, n. 12, ibi: « Illi autem, qui ex privilegio celebraturi sunt ante mediam noctem, observent omnia ea quoad jejunium servandum ante, et post missam illam, quæ tradit Gavantus supra. »

(48. Cardinalis, vel alius celebrans prædictam missam ante mediam noctem, non potest mane Nativitatis celebrare tres missas, sicuti alii sacerdotes. Sic Quarti, *loc. cit.*, part. I, tit. 15, dub. 7, difficult. 1, et communis aliorum contra Caramuelem; et ratio est, quia Summus Pontifex non dispensat in numero missarum, quæ dici possunt in solemnitate Nativitatis, sed solum in hora celebrandi primam ex tribus illis missis illa die concessis, transferendo in die præcedentem partem illius privilegii, quod jus commune concedit pro ipsa die Nativitatis Domini. Unde cum jam prima missa fuerit ex privilegio anticipata celebrata, non potest iterum ab eodem celebrari. Nec ideo est deterioris conditionis aliis sacerdotibus, ut præterdit Caramuel in *Theologia fundamentali*, fundament. 31, n. 13, sed imo conditionis melioris, quia fruitur anticipata eodem privilegio. Potest tamen mane celebrare reliquas duas missas, ne sit deterioris conditionis aliis sacerdotibus, cum, quod ob gratiam alicujus conceditur, non sit in ejus dispendium retorquendum, textu expresso in cap. *Quod ob gratiam* 61, De regul. juris, in 6; Quarti, *loc. cit.*; Gavanti, *loc. cit.*, n. 5, expresse concludens: « Et eo casu, si in prima missa noctis sumeret purificationem, imo et cibum ante mediam noctem, posse celebrare secundam, et tertiam missam Nativitatis Domini, favet communis doctrina theologorum; » et sequitur Merati, *loc. cit.*,